UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

In Vaticinia Isaiae, Prophetae Clarissimi, Paraphrasis, Heroico carmine conscripta

Carpenteius, Joannes

Antverpiæ, 1588

Ad Ioannem Carpenterivm I. C. Vaticinia Esaiæ Latinis Versibus exponentem, Francisci Moncæij Attrebatij Carmen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-68688

Visual Library

AD IOANNEM CARPENTERIVM I. C. VATICINIA ESAIÆ LATINIS Verſibus exponentem, Franciſci Moncæij Attrebatij Carmen.

*Carpentere, * ſacri qui Principis acria condis*
Mitibus Aonidum nunc quoque iura fauis;
Cui veterem Vraniæ nil dum reſtinxit amorem
Ambitioſus Heræ legipotentis amor;*
Quin ita contendis gemino par vnus amori,
Ut quantum alterutri nullus, vtrique vaces.
Perge nouis interpres Amoſida reddere vatem
Verſibus, & Latiis vertere ſacra modis.
Quámque prius Regi iuuat impendiſſe, Propheta
Stemmate regali ſentiat ortus opem.
*Laus ab vtroque ingens: * Tentati at pluribus olim*
Participes multos gloria Regis habet;
De magno ſolidæ tibi ſurget Amoſide nullis
Delibata prius gloria laudis auis.
Adde Vedaſtinus quòd ad hunc te Præſul: ad illum
Nemo fauore pari qui ſtimularet, erat.
Hic tibi Parnaſſum, tibi maius Apolline numen,
Maiorem hic præſtat & tibi Præſul opem.
Ergo prioris honos & laus ſit magna, licebit:
Maior honos operæ poſterioris erit.

* Imp. Iuſtiniani, quem librorum iuris inſcriptiones ſacratiſſimum Principem vocant.
* Iuriſprudentiæ.

* Pſalmos Dauidis qui verſu tentarint, plures iam olim extiterunt.